



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

n. 17.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

Sancto Ambrosio, & Fr. Franciscus de Sancta Clara ex ordine Sancti Francisci. Et quamuis dicantur interfuisse quidam Patres Carmelitæ, nondum scire potui quinam fuerint, nec an nomina sua subscripserint. Cùm hoc, inquam, ad me ita perlatum esset, ac præterea spargeretur vbique rumor, solos seuitas, quamuis inuitatos, ad Concordiam hanc stabiliendam accedere noluisse, officio ita postulante statui publicum dandum esse testimonium tum Innocentiæ Societatis nostræ, tum animi non tantum studiosi, sed prompti etiam ac parati ad pacem cum omnibus amplectendam.

Primum igitur sanctè affirmo, me nunquam à quoquam ad huiusmodi congressum inuitatum esse, nec quidquam à quoquam accepisse ex quo vel leuissimè colligerem gratum alijs fore si ego aut qui quam alius meo nomine interesset, nec etiam quidquam de re quæ tractabatur, multo minus de personis, loco aut tempore intellexisse quam omnia iam perfecta essent: neque tandem à tempore Concordiæ iam inite quidquam mihi à partibus indicatum esse, quo quid actum sit, certò mihi constet. Deinde verò cùm hæc aliunde iam intelligam profiteor meo sociorumque omnium meæ curæ commissorum nomine, nos omnes pacem ipsam libentissimis animis amplecti, quatenus spectat commune Religionis Catholicæ bonum, vel mutuam Operariorum caritatem opemque. Pollicemur quoque nos omnem duros operam nè summus Pontifex (vt Concordia hæc loquitur) per falsas informationes decipiatur, atque imprimis ne vlla vel minima re Serenissimi Regis, Reginæ aut status honor lædatur. Quæ omnia sicut hæctenus pro virili semper præstitimus, ita in posterum etiam præstare, ac procurare vt ab alijs præstentur omni studio conabimur.

In quorum omnium fidem officij mei sigillum, manumque propriam apposui. Londini die 25 Nouembris Anno 1635. Richardus Bloedus.

XVII. Et ad Gregorium ipsum Panzanam has literas.

Admodum Reuerende Domine

QVI has Reuerendæ Dominationi Vestræ daturus est P. Robertus, narravit mihi, casu nec opinanti sibi contigisse vt Dominatione Vestram eadem die, scilicet Martis hebdomadæ elapsæ, Mensis autem decimo septimo, eademque horâ officij causâ adiret quo D. V. plures secum Sacerdotes congregatos habebat, pacis cuiusdam, vt postea vidit, conficiendæ causâ. D. autem V. ad se (vt adesse intellexit) paulisper egressam, id ipsum indicasse, nec non dixisse, communiter iam ab illis constitutum esse de aliquo mittendo qui me omnium nomine ad eandem secum concordiam inuitaret. P. vero Robertus, vt narrat, respondit, quamuis meâ vel alterius meo loco præsentia opus non sit cùm nos pacem cum omnibus colamus, ac parati simus semperque fuerimus cuiuscunque se à nobis læsum profitenti facere satis, se tamen minimè dubitare

1635.

quin ego, si quis eorum nomine ad me veniat, facillimè pacem illam, cuius summam Dominatio Vestra, seu potius primum Caput, de mutua nempe caritate, ac iniuriarum memoria delenda paucis ei tunc indicauerat, esse amplecturus. Addebat autem gaudere se plurimum eisdem Sacerdotes iam animum induxisse vt nos admittere velint; quoniam de pace quidem, sed à qua nos omnino excludi oporteret, sæpius actitatum esse certâ famâ audierat. Nec dubitabat istam consilij mutationem Dominationis V. pio studio quo fertur pacis inter omnes conciliandæ tribuere. Quæ P. Robertum omnia narrantem libenter audiui, de pace enim non nisi gratus sermo esse potest. Quare ab eo tempore animum nuncij expectatione suspensum tenui, ex quo certo pacis capita, quidque à me exigetur cognoscerem. Verum cum iam dies ipsi octo effluerint, nec quidquam ab ijs à quibus maximè sperabam audiam: Audiam autem ab alijs omnibus plurima, statui mecum ipse amplius expectandum non esse, sed assensum meum scripto similiter explicandum, quem vnà cum hisce literis Dominationi Vestræ transmittito: quo cum Dominatio Vestra tum alij omnes videant quam libens ego pacem cum reliquo Clero amplectar, studiumque omne in publicum commodum etiam vltro conferam.

Pauca tamen hic habeo mantissæ loco de hac pace dicenda; quæ vt nec in publico Instrumento ponenda, ita neque hic omittenda esse decreui. Primum itaque mirari satis non possum tam solemnem institutam esse pacis tractationem de rebus huiusmodi, scilicet de bono publico ita vniuersè promovendo, de caritate fouenda, de Pontifice non decipiendo, Regisque honore non lædendo, de quibus nulla fuit inter quosuis vnquam aut esse potuit discrepantia.

Deinde quamuis Pacem hanc amplectamur, nè pacem videamur negligere, at non tam facillè amplecti possumus id quod statuitur de conueniendo singulis trimestribus, aut etiam sæpius, tametsi forte videremur inuitandi. Nam cæsus eiusmodi, præsertim frequentes, cum alibi, tum hic maximè suas habent difficultates.

Tandem quoniam Sacerdotes seculares se conuenire dicunt pro parte & nomine Episcopi Chalcedonensis, quo videntur eidem R. D. non nihil adhuc iuris in Anglia tribuere, sibi que etiam reseruare, de hoc, sicut etiâ de potestate paciscendi huiusmodi in rebus, quam vel vnà cum ipso, vel seorsum habeant, illud solum moneo me nihil eorum auctoritati aut additum aut detractum hoc meo facto velle, sed omnia integre suæ Sanctitati, in cuius manu iam sunt, relinquere. Vt autem Deus nobis suam pacem largiatur ex animo precor. Meque ita Dominationi Vestræ suisque Sanctis precibus humiliter commendo. Datum Londini, die 25. Nouembris Anno 1635.

Admodum Reuerendæ D. V.

Seruus in Christo

Richardus Blondus
Ad

Ad quæ Gregorius in hæc verba. Admodum Reuerende Domine. 1635.

A Ccepi à P. Roberto Epistolam Dominationis Vestræ in qua se exhibet promptissimam ad amplectendam pacem & concordiam; imo referens iunctim tenorem eorum capitum Concordiæ inite inter Sacerdotes seculares, & reliquos Regulares, quæ aliorum relatione acceperat, illa vltro recipit; sed quia non omnia Capita Concordiæ fuerunt ad amissim Dominationi Vestræ relata, & in sua Epistola ad me transmissa notauit qualdam difficultates circa Concordiam initam; ideo mitto ad D. V. integrum & sincerum exemplar dictæ Concordiæ inite & subscriptæ, necnon aliquorum capitum seorsim scripto firmatorum, sed ore tenus tantum approbatorum; vt possit ea omnia diligenter considerare, & agere cum Presbyteris secularibus vt alij Regulares fecerunt, ortasque difficultates discutere, ad hoc vt tandem, Deo fauente, omnium Sacerdotum in Anglia, sit cor vnum & anima vna, sublata omni offensione, eiusque recordatione. Quod ad me attinet, sicut alijs omnibus dixi, sic etiam D. V. dico me veram pacem & concordiam expetere; de conditionibus vero nec egisse, nec agere velle, quia impossibile mihi, aut saltem difficillimum esset, de ijs tractare sine aliquorum offensione. Et me vestris Sanctis Sacrificijs & orationibus humiliter commendo. Datum Londini die 28. Nouembris 1635. Stylo veteri.

Admodum Reuerendæ Dominationis Vestræ.

Seruus in Christo.

Gregorius Panzanus.

Et verso folio.

Promittunt deputati Regularium

Ordinum; quod neque per se neque per fratres suos, directe, vel indirecte, ab hac hora in posterum, se opponent Episcopali auctoritati stabilendæ in Anglia; neque impediunt Episcopum, vel Episcopos ibidem stabilitos vel stabilendos, quo minus liberè & pacificè fruantur & exercent quæcumque iura, priuilegia & facultates ipsis à sede Apostolica concessas.

Promittunt deputati Cleri secularis, quod neque per se, neque per Episcopos in Anglia stabilitos vel stabilendos directe vel indirecte impediunt prædictos Regulares quo minus pacificè & liberè fruantur & exercent quæcumque iura priuilegia & facultates ipsis à sede Apostolica concessas, sub suis, vt hæctenus, Superioribus.

Item promittitur ex vtraque parte quod quamprimum Clerus secularis Superiorem immediatum habuerit residentem in Anglia, tractabitur de magis specialibus vnionis & Concordiæ conditionibus

Hæc Gregorius.

XVIII. Cui

Ooo